

perpetuo tenendum per hanc nostri decreti paginam, contulimus, atque tradidimus ita ut nec nos, nec successores nostri Episcopi, vel aliquis ex nostris propinquis valeant nostram institutionem legalem, infringere, corrumpere, aut calumniare. Abbati vero, qui ibi pro tempore abbatiam ipsam rexit, liceat cum suis Monachis ibi regulariter viventibus uti & possidere res Ecclesiae ad honorem Dei, & proficuum fratrum, non ad damnum, & detrimentum Ecclesiae, sed ad incrementum. Nunc ergo omnibus fidelibus pateat, in quibus locis hæ res consistendo adjacent, quas bono animo dedimus continenter in territorio Aquensis civitatis, videlicet in Barbada, Monteruso, Cæsaronia, nec non in loco Settebri, & in Faustiola, illud autem quod in territorio prædictæ civitatis, atque in territorio Settebri ex parte nostri patris habemus, ipsi Monasterio sancti Petri possidendum concedimus, & inter Melagium, & Cartausium, atque Castrum novum, quod dicitur Falmencianum, mansos quindecim. Item in præfato castro Meladio, unam braidam continentem decem jugias, & in Septebrio unum molendinum; res siquidem, quas prædecessor noster Dudo Episcopus iuste dedit jam dicto Monasterio, pro remedio, & salute animæ suæ, successorumque suorum Episcoporum, vel Imperatorum Romanorum, omniumque fidelium Christianorum donando concedimus, eo tenore ut successores nostri Episcopi nihil de his minuant, vel auferant ad damnum Ecclesiae, sine consensu & voluntate regularis Abbatis, & fratrum ibi regulariter viventium, sed Abbas, qui pro tempore ibi fuerit Pastor teneat, & provideat res Ecclesiae suæ, non ad detrimentum, ut diximus, sed ad proficuum Ecclesiae sibi commissæ. Volumus igitur toti sæculo præsentium vel futurorum patefacere coetui concessionem, quas concedere diximus, in quibus locis consistent; sex namque Ecclesias cum suis pertinentiis, atque decimis voluntario animo damus, atque concedimus: prima earum est in loco Demeciano, & vocatur S. Thomas; secunda est in Oviliole, & appellatur S. Andreas; tertia est in Septebrio, & nominatur Sancta Crux; quarta in castello novo nomine S. Angeli; quinta in Trisobio vocitata S. Steffani, sexta in Carpeneto possidens nomen sancti Salvatoris. In suburbio igitur præfate civitatis quatuor jugias juxta cæmeterium ipsius Monasterii, quibus jugiis in duobus lateribus via facit finem, in tertio latere rivulus, qui dicitur Medrius, in quarto nostra reservatio; duos etiam famulos, cum filiis ac filiabus, ac suis pertinentiis, quorum unus dicitur Aquideus, alter vero Meretus. Quod autem iuste donatum vel concessum est prænominato cænobio nostro a Domino Dudone venerabili Præsule antecessore nostro, & quod iuste acquirere potuit, vel a fidelibus hominibus adquisierit affirmamus, rectumque factum judicamus, quemadmodum ipsius decretum continet. Sit itaque nostrum decretum diuturnis temporibus stabile, & inconvulsum, statuimus atque ordinamus, ut successores nostri Episcopi cum Monachis Abbates in hoc monasterio ad hoc opus idoneos regulariter ordinent, & sine pecunia consecrent. Siquis vero vel ex successori-

bus nostris, aut aliquis homo diabolicus hanc nostram infringere, corrumpere, minuere aut calumniare tentaverit institutionem, sciat se compositurum auri optimi oncias centum, argenti pondera ducenta medietatem Camerae Regis, & medietatem superscripto monasterio S. Petri. Ut autem hoc decretum stabile & inconvulsum permaneat, nostra manu, & Clericorum nostrorum, & aliquorum Laycorum confirmavimus. Actum anno incarnationis Domini Nostri Jesu Christi millesimo quadragésimo primo, indictione secunda; Enrico regnante anno ejus secundo.

Ego Wido Dei gratia Episcopus in hoc decreto a me facto scripsi. Ego Ribaldus Archidiaconus subscripsi. Ego Joannes Archipræbiter subscripsi. Ego Atho Præbiter scripsi. Ego Germanus Diaconus subscripsi. Ego Benedictus Subdiaconus subscripsi. Ego Lampertus Accolitus subscripsi.

*Donatio Casanovæ facta Ecclesiae Aquensi & Monasterio Sancti Petri.*

M X L I I.

18

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1042. 7. aprilis in die 10. monasterio sancti Apostoli Petri quod est ædificato iuxta civitatem Aquensem & canonica sanctæ Mariæ quæ est constructa intra civitatem Aquensem. Ego Villelmus filius quondam Dodonis qui professus sum ex natione mea lege vivere Langobardorum offeror & donator ipso monasterio & canonica pp. dixi quod quis in sanctis ac venerabilibus locis de suis aliquid contulerit rebus iuxta actoris in hoc sæculo centuplum accipiet & quod melius est vitam possidebit æternam. Ideoque ego qui supra Villelmus dono, & offero in eodem monasterio sancti Petri & in canonica sanctæ Mariæ idest edificata castellum & curtem, quæ dicitur Casanova cum omnibus suis pertinentiis ac iacentiis id sunt casis capellam pratis pascuis, vineis, terris silvis cum areis suis gerbis & terris cultis, & incultis, quæ sunt in locis & fundis in Cornaleta, in Verdobio, in Buligo, in Pradello, Binisco, in Pagario, & Arasco, in Valle bona, in Buscafale, & in eorum territoriis ac iacentiis & pertinentiis sive infra hoc Italicum regnum omnia in integrum cum omni honore, ut dictum est, casis, capella quacunque, sediminibus, vineis, & areis suarum, ripis, rupinis, & paludibus, molendinis, & piscationibus, colitis & incolitis, divisis & indivisis, una & finibus, terminis, accessionibus, usibus aquarum, aquarumque ductibus cum omni iure ac iacentiis & pertinentiis ad ipsas locas & vocabula pertinentia in integrum. Quos autem istis casis capellam sediminibus, vineis, & areis suarum, terris arabilibus, cultis & incultis, gerbis, pratis, seu frascareis, & areis suarum, ripis, & rupinis, ac paludibus, molendinis, & piscationibus & staldieis, seu res illas omnis iuris in integrum superius dictas una cum accessionibus & ingressibus seu superioribus & inferioribus earum rerum qualiter superius in integrum ab hac die in eodem monasterio sancti Apostoli Petri &